

# CATULLI VERONENSIS LIBER

## 1

Cui dono lepidum novum libellum  
arida modo pumice expolitum?  
Corneli, tibi: namque tu solebas  
meas esse aliquid putare nugas  
iam tum, cum ausus es unus Italorum 5  
omne aevum tribus explicare cartis  
doctis, Iuppiter, et laboriosis.  
quare habe tibi quidquid hoc libelli,  
qualecumque quod, <o> patrona virgo,  
plus uno maneat perenne saeclo. 10

1 1 *Ausonius, Eclogarum liber 1.1* 1–4 *Schol. Veron. in Vergilium, Ecl. 6.1* 1–2 *Plinius, Naturalis historia 36.154* *Isidorus, Etymologiae (= Origines) 6.12.3* *Pastrengicus, De originibus rerum (ed. Veneta) p. 88b* 1, 2, 4 *Grammatici Latini (ed. H. Keil) VI: 148 (Marius Victorinus), 261 (Caesius Bassus), 401 (Terentianus); cf. 298 (Atilius Fortunatianus)* 3–4 *Plinius, Naturalis historia 1 praefatio 1* 4 *Petrarca, Epistolae rerum senilium 11.3* 5–7 *Pastrengicus, De originibus rerum (ed. Veneta) p. 16a*

1 2 *arida Servius, Pastrengicus, VI?*, *arido OGR* *pumice R, corr. R<sup>2</sup>* 5 *tum ε: tamen V* *es ε: est V* 6 *evum (euū) O, Pastrengicus: eum GR, corr. R<sup>2</sup>* 8 *habe tibi η: tibi habe V* *libelli] al. mei G<sup>1</sup>R<sup>2</sup>* 9 *<o> add. θ, est (ē) Statius* *quidem 1472 (qualecumque quidem est, patroni ut ergo Bergk)* 10 *perire O*

## 2

Passer, deliciae meae puellae,  
 quicum ludere, quem in sinu tenere,  
 cui primum digitum dare appetenti  
 et acris solet incitare morsus,  
 cum desiderio meo nitenti 5  
 carum nescioquid lubet iocari,  
 ut solaciolum sui doloris,  
 credo, ut tum gravis acquiescat ardor;  
 tecum ludere sicut ipsa possem  
 et tristis animi levare curas! 10

2<sup>b</sup>

\* \* \*

tam gratum est mihi quam ferunt puellae  
 pernici aureolum fuisse malum,  
 quod zonam soluit diu ligatam.

## 3

Lugete, o Veneres Cupidinesque  
 et quantum est hominum venustiorum:  
 passer mortuus est meae puellae,  
 passer, deliciae meae puellae,  
 quem plus illa oculis suis amabat. 5  
 nam mellitus erat suamque norat  
 ipsam tam bene quam puella matrem,

2 1 *Grammatici Latini VI: 260 (Caesius Bassus), 293 (Atilius Fortunatianus), 614*  
 ("Censorinus de metris")

2<sup>b</sup> 3 *Priscianus, Institutiones grammaticae 1.22; cf. Carmina Epigraphica (ed. F. Buecheler)*  
 1504.49

2 3 qui V, al. cui O<sup>1</sup> appetenti γ: at petenti V, al. patenti G<sup>1</sup>R<sup>2</sup>, al. parenti G? (*manus recentior*) 4 ea V, corr. R<sup>2</sup> 6 karum V, corr. m libet V, al. iubet O<sup>1</sup> 7 ut B. Guarinus: et V 8 tum ... acquiescat B. Guarinus: cum ... acquiescet V 9 tecum V, al. secum O<sup>1</sup> ludere GR, luderem O, corr. O<sup>1</sup>, al. luderem G<sup>1</sup>

2<sup>b</sup> 3 negatam V: ligatam Priscianus R<sup>2</sup>, erat negatam R<sup>2</sup> in margine

3 3 motuus G, corr. G<sup>2</sup>

nec sese a gremio illius movebat,  
 sed circumsiliens modo huc modo illuc  
 ad solam dominam usque pipiabat; 10  
 qui nunc it per iter tenebricosum  
 illuc, unde negant redire quemquam.  
 at vobis male sit, malae tenebrae  
 Orci, quae omnia bella devoratis:  
 tam bellum mihi passerem abstulistis 15  
 (o factum male! o miselle passer!);  
 vestra nunc opera meae puellae  
 flendo turgiduli rubent ocelli.

## 4

Phaselus ille, quem videtis, hospites,  
 ait fuisse navium celerrimus,  
 neque ullius natantis impetum trabis  
 nequisse praeterire, sive palmulis  
 opus foret volare sive linteo. 5  
 et hoc negat minacis Hadriatici  
 negare litus insulasve Cycladas  
 Rhodumque nobilem horridamque Thracia  
 Propontida trucemve Ponticum sinum,  
 ubi iste post phaselus antea fuit 10

3 12 [Seneca] *Ludus de morte Claudii* 11.6; cf. *Carmina Epigraphica* 1504.11 16 cf. *Carmina Epigraphica* 1512.4 18 Petrarca, *Epp. Var.* 32.43

4 Cf. [Vergili] *Catalepton* 10 1 *Grammatici Latini* VI: 134 (Marius Victorinus), 393 (Terentianus), 612 ("Censorinus de metris"); *Scholia Bernensia ad Vergili Georgicon* 4.289; *Scholia ad Lucanum* 5.518; Augustin., *De Musica* 5.5, 11, 16

9 circumsiliens] c. silens V, al. siliens O<sup>1</sup>, corr. R<sup>2</sup> illuc movebat GR, al. vacat hoc verbum G<sup>1</sup>R<sup>2</sup> 10 pipiabat γ, pipilabat ζ: piplabat V 11 tenebricosum Parth.: tenebrosum V 12 illud V, al. illuc O<sup>1</sup> 14 orci quae β (al. quae iam G<sup>1</sup>): orci que V bella super scripto id est pulcra OG 15 passarem R, corr. R<sup>2</sup> 16 o (1<sup>o</sup>) η: bonum V o miselle 1473, quod, miselle Goold: bonus ille V (bellus ille R<sup>3</sup>) 17 vestra cod. antiquior ap. Av.; tua V 18 turgidoli R, corr. R<sup>2</sup>

4 1 phasselus V, corr. m 2 ait Calph.: aiunt V celerrimus Parth.: celerimum O, -rr- GR 3 ullius Calph.: illius V trabis Av. (trabis impetum iam Calph.): tardis V 4 nequisse θ: neque esse V 4-5 sive ... sive (γ?) ηθ: sine ... sine V 6 negant η minacis ζ: mina ei V 7 insulasve cieladas G (cicl- G<sup>2</sup>), insula vegeladis O 8 Thracia J.A.K. Thomson (traciam iam a): tractam V 9 siniam O 10 ubuste O phasselus V, corr. m

comata silva; nam Cytorio in iugo  
 loquente saepe sibilum edidit coma.  
 Amastri Pontica et Cytore buxifer,  
 tibi haec fuisse et esse cognitissima  
 ait phaselus: ultima ex origine 15  
 tuo stetisse dicit in cacumine,  
 tuo imbuisse palmulas in aequore,  
 et inde tot per impotentia freta  
 erum tulisse, laeva sive dextera  
 vocaret aura, sive utrumque Iuppiter 20  
 simul secundus incidisset in pedem;  
 neque ulla vota litoralibus deis  
 sibi esse facta, cum veniret a mari  
 novissime hunc ad usque limpidum lacum.  
 sed haec prius fuere: nunc recondita 25  
 senet quiete seque dedicat tibi,  
 gemelle Castor et gemelle Castoris.

## 5

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,  
 rumoresque senum severiorum  
 omnes unius aestimemus assis!  
 soles occidere et redire possunt;  
 nobis, cum semel occidit brevis lux, 5  
 nox est perpetua una dormienda.  
 da mi basia mille, deinde centum,  
 dein mille altera, dein secunda centum,  
 deinde usque altera mille, deinde centum;  
 dein, cum milia multa fecerimus, 10  
 conturbabimus, illa ne sciamus,

25–7 Priscianus, *Institutiones grammaticae* 9.49 (= *Grammatici Latini* II: 484); *Grammatici Latini* I: 252 (Charisius), 344 (Diomedes)

11 cytorio  $\eta$ , citherio ( $\gamma$ ): citeorio V 13 cytore  $\zeta\eta$  (cithore iam  $\gamma$ ): citheri V  
 14 cognitissima  $\gamma$ : cognot- V 15 phasellus V, corr. m 17 tuas GR 18 in potentia R,  
 corr. R<sup>1</sup> 20 vocaret aura ( $\gamma$ ): vocare cura V 21 -de- in rasura R<sup>2</sup> 22 litoralibus R,  
 corr. m 23 a mari  $\gamma$  (-ei Lachmann): amaret V 24 novissimo  $\zeta\eta$  25 hec a: hoc V  
 recomdita O 27 castor  $\gamma\eta$ : castrum V, al. castorum G<sup>1</sup>R<sup>2</sup>  
 5 3 estinemus O, extinemus GR 4 ocidere O 5 nobiscum V 8 dein mille Calph.: deinde  
 mille V, deinde mi R<sup>2</sup> dein Puccius: deinde V, da R<sup>2</sup> 10 dein  $\eta$ : deinde V millia GR  
 11 conturbabimus  $\theta$ : -avimus V nesciamus V

aut ne quis malus invidere possit  
cum tantum sciat esse basiorum.

## 6

Flavi, delicias tuas Catullo,  
ni sint illepidae atque inelegantes,  
velles dicere nec tacere posses.  
verum nescioquid febriculosi  
scorti diligis: hoc pudet fateri. 5  
nam te non viduas iacere noctes  
nequiquam tacitum cubile clamat  
sertis ac Syrio fragrans olivo,  
pulvinusque peraeque et hic et ille  
attritus, tremulique quassa lecti 10  
argutatio inambulatioque.  
nam nil stupra valet, nihil, tacere.  
cur? non tam latera effututa pandas,  
ni tu quid facias ineptiarum.  
quare, quidquid habes boni malique, 15  
dic nobis. volo te ac tuos amores  
ad caelum lepidio vocare versu.

## 7

Quaeris quot mihi basiationes  
tuae, Lesbia, sint satis superque.  
quam magnus numerus Libyssae harenae  
lasarpiciferis iacet Cyrenis  
oraclum Iovis inter aestuosi 5

5 13 cf. Priapea 52.12

13 tantum  $\beta^1$ : tantus V sciet Buecheler  
6 2 ni  $\theta$ : ne V 5 hic ( $\hbar$ ) O 7 nequid quam O 8 ac syrio Av., et syrio Ald.: asirio OG, a  
sirio R, a syrio m (assirio  $\beta$ ) fragrans  $\zeta\theta$ : flagrans V 9 et hec et illo V, hic supra scr. G<sup>1</sup>  
(al. praescr. G<sup>2</sup>), al. hic R<sup>2</sup>, al. ille R<sup>2</sup>bis 12 nil stupra valet Haupt, ni stupra valet  
Scaliger, nil ista valet Lachmann, alii alia: in ista prevalet O, ni ista prevalet GR 13 cum  
Camps ecfututa Lachmann (exf- iam 1472): et futura V pandas  $\zeta\eta$ : panda V 14 ni  
A. Guarinus (nei Marcilius): nec V 15 babes bonique O 17 versum V, corr. R<sup>2</sup>  
7 1 quot a: quod V 4 lasarpici feris GR (al. fretis R<sup>2</sup>), l. fecis O iaces O tyrenis OR,  
tyarenis G (a del. G<sup>2</sup>), al. cyrenis R<sup>2</sup> 5 oraclum  $\gamma$ : oradum V

mutanda est ratio modusque vobis,  
 siquid proficere amplius potestis:  
 "pudica et proba, redde codicillos."

## 43

Salve, nec minimo puella naso  
 nec bello pede nec nigris ocellis  
 nec longis digitis nec ore sicco  
 nec sane nimis elegante lingua.  
 decoctoris amica Formiani, 5  
 ten provincia narrat esse bellam?  
 tecum Lesbia nostra comparatur?  
 o saeculum insipiens et inficetum!

## 44

O funde noster seu Sabine seu Tiburs  
 (nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est  
 cordi Catullum laedere; at quibus cordi est,  
 quovis Sabinum pignore esse contendunt),  
 sed seu Sabine sive verius Tiburs, 5  
 fui libenter in tua suburbana  
 villa, malamque pectore expuli tussim,  
 non inmerenti quam mihi meus venter,  
 dum sumptuosas appeto, dedit, cenas:  
 nam, Sestianus dum volo esse conviva, 10  
 orationem in Antium petitozem  
 plenam veneni et pestilentiae legi.  
 hic me gravedo frigida et frequens tussis  
 quassavit usque, dum in tuum sinum fugi,  
 et me recuravi otioque et urtica. 15

22 vobis  $\theta$ : nobis V

43 2 ocellis G, corr. G<sup>1</sup> et G<sup>2</sup> 7 comparantur O, corr. O<sup>1</sup> 8 sedum V, corr. R<sup>2</sup> in sapiens et in facetum G

44 2 cum quibus G, corr. G<sup>2</sup> 4 pignore  $\delta$ : pignoris V 7 malamque Av. et Edin.: aliamque V expuli tussim Av. (expui Scaliger): expulsus sim V 8 in merenti O meus venter Faernus: mens vertur V 10 festianus O convivia GR, corr. R<sup>2</sup> 11 oratione V, -nem R<sup>2</sup> in Antium Statius (in Accium B. Guarinus et Ald.): minantium OR, minancium G petitorum R<sup>2</sup> 13 hoc O gravedo  $\delta$ : gravido V 15 ocimoque Herm. Barbarus (teste Puccio)

uno in Septimio fidelis Acme  
 facit delicias libidinesque.  
 quis ullos homines beatiores 25  
 vidit, quis venerem auspiciorem?

## 46

Iam ver egelidos refert tepores,  
 iam caeli furor aequinoctialis  
 iucundis Zephyri silesit auris.  
 linquantur Phrygii, Catulle, campi  
 Nicaeaeque ager uber aestuosae: 5  
 ad claras Asiae volemus urbes.  
 iam mens praetrepidans avet vagari,  
 iam laeti studio pedes vigescunt.  
 o dulces comitum valetate coetus,  
 longe quos simul a domo profectos 10  
 diversae varie viae reportant.

## 47

Porci et Socraton, duae sinistrae  
 Pisonis, scabies famaeque mundi,  
 vos Veraniolo meo et Fabullo  
 verpus praeposuit Priapus ille?  
 vos convivia lauta sumptuose 5  
 de die facitis, mei sodales  
 quaerunt in trivio vocationes?

## 48

Mellitosis oculos tuos, Iuventi,  
 si quis me sinat usque basiare,

- 23 Acme  $\eta\theta$ : ac me V 24 libidinesque a: libidinisque V  
 46 1 ver egelidos  $\theta$ : vere gelidos ORmG<sup>2</sup>, gelidos ve G (eras. G<sup>2</sup>) 2 equi noctialis O  
 3 cephiri silesit O auris  $\gamma$ : aureis V 4 liquantur O friggii V, phrygii m catulle O  
 5 uber Av.: ruber V (ruber G, ruber G<sup>2</sup>) estuose  $\gamma$ : estuore V 10 longe G, corr. G<sup>1</sup>  
 quos  $\eta$  (et R<sup>3</sup>): quo OG(R<sup>2</sup>?), quoque R 11 diversae varie B. Guarinus, -os variae Av., -e  
 variae Scaliger: diverse varie V  
 47 2 scabies G, corr. G<sup>2</sup> munda Buecheler 4 praeposuit  $\gamma$ : proposuit V  
 48 1 iuventi Sen.: inventi OR, in venti G

usque ad milia basiem trecenta;  
 nec mi umquam videar satur futurus,  
 non si densior aridis aristas  
 sit nostrae seges osculationis. 5

## 49

Disertissime Romuli nepotum,  
 quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,  
 quotque post aliis erunt in annis,  
 gratias tibi maximas Catullus  
 agit pessimus omnium poeta, 5  
 tanto pessimus omnium poeta  
 quanto tu optimus omnium patronus.

## 50

Hesterno, Licini, die otiosi  
 multum lusimus in meis tabellis,  
 ut convenerat esse delicatos:  
 scribens versiculos uterque nostrum  
 ludebat numero modo hoc modo illoc, 5  
 reddens mutua per iocum atque vinum.  
 atque illinc abii tuo lepore  
 incensus, Licini, facetiisque,  
 ut nec me miserum cibus iuaret  
 nec somnus tegeter quiete ocellos, 10  
 sed toto indomitus furore lecto  
 versarer, cupiens videre lucem,  
 ut tecum loquerer simulque ut essem.  
 at defessa labore membra postquam

49 1 *Petrarca, Epistolae variae* 38.6 (anni 1347)

3 milleia *R*, corr. *R*<sup>2</sup> basia *R*, corr. *R*<sup>1</sup> 4 mi umquam *Statius*, umquam  $\gamma$ : numquam *V*  
 videar satur *B. Guarinus* (satur iam  $\gamma\delta$ ): inde corsater *V* 6 sint *V*, corr. *R*<sup>2</sup>

49 7 omniums *R*, corr. *R*<sup>1</sup> patronus *O*( $\gamma$ ) *R*<sup>3</sup> (et manus recentior in *m*): patronum *GR* et *m*  
 primo

50 2 luximus *R*, corr. *R*<sup>2</sup> 3 dellicatos *R*, corr. *R*<sup>2</sup> 5 ludebat *V*, al. le- *R*<sup>2</sup> illos *O* 7 abii  $\gamma$ :  
 abiit *V* 8 licini ( $\delta$ ): lacini *V* facetiisque  $\zeta$ : faceti tuique *V* 10 som(p)nus  $\gamma$ : somnos *OG*,  
 sompnos *R* 11 in domitus *G* 12 versarer  $\gamma$ : versaretur *V* 13 simulique omnem *GR*,  
 corr. *R*<sup>2</sup> (al. praescr. *R*<sup>2</sup> bis) 14 at a: ad *V*



ride quidquid amas, Cato, Catullum:  
 res est ridicula et nimis iocosa.  
 deprensi modo pupulum puellae  
 trusantem; hunc ego, si placet Dionae,  
 protelo rigida mea cecidi. 5

## 57

Pulcre convenit improbis cinaedis,  
 Mamurrae pathicoque Caesarique.  
 nec mirum: maculae pares utrisque,  
 urbana altera et illa Formiana,  
 impressae resident nec eluentur:  
 morbosi pariter, gemelli utrique,  
 uno in lecticulo erudituli ambo,  
 non hic quam ille magis vorax adulter,  
 rivales socii et puellularum.  
 pulcre convenit improbis cinaedis. 10

## 58

Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,  
 illa Lesbia, quam Catullus unam  
 plus quam se atque suos amavit omnes,  
 nunc in quadriviis et angiportis  
 glubit magnanimi Remi nepotes. 5

58<sup>b</sup>

Non custos si fingar ille Cretum, 1  
 non Ladas ego pinnipesve Perseus, 3

3 nide O 5 pupullum *Calph.* (pupulum *Parth.*): populum V 6 trusantem V: crissantem η  
 7 pro telo GR ridida G, corr. G<sup>2</sup>  
 57 3 pares θ: paris V 5 impse O nec eluentur (θ): nece luentur V 7 lectulo GR 9 nivales O  
 socii et] socii (et om.) *Trinc.* (sociei *Scaliger*)  
 58 1 nostra m: vestra *Vm*<sup>1</sup> 4 quadruviis G, -rivis R (corr. m) agiportis R, corr. R<sup>2</sup>  
 5 magnanimi Remi *Vossius*, magnanimos Remi ηθ, *Calph.*: magna amiremini O, magna  
 admiremini GR  
 58<sup>b</sup> (vv. 3 et 2 transp. *Muretus*) 3 primipes V, al. pinnipes R<sup>2</sup>

## 85

Odi et amo. quare id faciam, fortasse requiris.  
nescio, sed fieri sentio et excrucior.

## 86

Quintia formosa est multis. mihi candida, longa,  
recta est: haec ego sic singula confiteor,  
totum illud "formosa" nego: nam nulla venustas,  
nulla in tam magno est corpore mica salis.  
Lesbia formosa est, quae cum pulcherrima tota est,  
tum omnibus una omnis surripuit veneres.

5

## 87

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam  
vere, quantum a me Lesbia amata mea es.  
nulla fides ullo fuit umquam in foedere tanta,  
quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.

## 88

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore  
prurit et abiectis pervigilat tunicis?  
quid facit is, patrum qui non sinit esse maritum?  
ecquid scis quantum suscipiat sceleris?  
suscipit, o Gelli, quantum non ultima Tethys  
nec genitor Nympharum abluit Oceanus:  
nam nihil est quicquam sceleris, quo prodeat ultra,  
non si demisso se ipse voret capite.

5

86 4 Quintilianus, *Institutio oratoria* 6.3.18

85 1 ama R, corr. R<sup>1</sup> nequiris O 2 sed] si O

86 1 loga O 2 singulla G, corr. G<sup>1</sup> 5 pulch<sup>er</sup>ima O, pulcherrima G, pulcherima R,  
pulcherrima R<sup>2</sup> 6 omnes GR subripuit O

87 1 potest] pone G 2 es Scaliger: est V 3 nullo R, corr. R<sup>1</sup> umquam in Pall.: umquam  
(om. in) V tanta ζη: tanto V 4 quantam O

88 1 facis R, corr. R<sup>2</sup> furore R, corr. R<sup>1</sup> 2 prurit β: prorurit O, proruit GR 3 facis O  
4 ecquid 1473 et corr. Grat.<sup>1</sup>: et quid V sis O tantum R, corr. R<sup>1</sup> 5 thetis V, corr. m

## 92

Lesbia mi dicit semper male nec tacet umquam  
 de me: Lesbia me dispeream nisi amat.  
 quo signo? quia sunt totidem mea: deprecor illam  
 assidue, verum dispeream nisi amo.

## 93

Nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere,  
 nec scire utrum sis albus an ater homo.

## 94

Mentula moechatur. moechatur mentula? certe  
 hoc est quod dicunt: ipsa olera olla legit.

## 95

Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem  
 quam coepta est nonamque edita post hiemem,  
 milia cum interea quingenta Hortensius uno

. . . . .  
 Zmyrna cavas Satrachi penitus mittetur ad undas,  
 Zmyrnam cana diu saecula pervoluent.  
 at Volusi annales Paduam morientur ad ipsam  
 et laxas scombris saepe dabunt tunicas.

5

92 1-4 *Aulus Gellius, Noctes Atticae* 7.16.2

93 2 *Quintilianus, Institutio oratoria* 11.1.38

92 1 L add. O<sup>1</sup> 2-4 amat . . . nisi om. GR, habent O, Gellius 3 mea Vossius: ea O, codd. Gelliani 4 verum codd. Gelliani: vero O amo] al. amat R<sup>2</sup>

93 2 scire Parth., teste Av.<sup>2</sup> (et "codex vetustior" teste A. Guarino): si ore V sis albus an ater Parth., teste Av.<sup>1</sup>, Beroaldus (sis iam Sen.<sup>2</sup>): si salvus an alter V

94 1 mentulla G, corr. G<sup>1</sup>

95 1, 5, 6 zinirna V, zmirna R<sup>2</sup> crine O m̄sem O 3 in terrea G ort- O Hatriensis in Housman (Hatrianus in iam Munro) 5 cavas ζη: canas V mictentur R, mictetur R<sup>2</sup> 6 pervoluent Calph.: pervoluit V